

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||
COMPREHENSA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XI. Concilia Episcoporum aliqua simpliciter esse necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

librorum filij regni erunt; assertores vero gehenna suscipiet.
Nam quis illud Sanctorum omnium, et Episcoporum, & Martyrum lumen beatissimum Cyprianum, cum ceteris collegis suis in aeternum dubitet regnaturum esse cum Christo? aut quis contra tam sacrilegus, qui Donatistas & ceteras pestes, quae illius auctoritate Concilij rebaptizare se iactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum Diabolo?

C A P V T XI.

Concilia Episcoporum aliqua simpliciter esse necessaria.

VAMVIS autem generalia Concilia, non sint absolutè necessaria, tamen Concilia aliqua, siue generalia, siue particularia sint, omnino necessaria esse ad bonam Ecclesiæ gubernationem, vix in questionem reuocari posse dubito: Nam si necesse est, ut veniant scandala, ut ait Dominus Matth. 18. & oportet hæreses esse, ut Apostolus ait, 1. Cor. ii. certè necesse est etiam, ut in Ecclesia sit certum aliquid iudicium, quo & scandala tolli, & hæreses damnari possint, alioqui breui tempore Ecclesia vniuersa in partes scinderetur & periret: Nam omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Matth. 12.

Etsi vero summus Pontifex iudex est, vice Christi, omniū controversiarum, eiique obtemperare debet fraternitas vniuersa, ut Cyprianus loquitur lib. I. epist. 3. & nos in libris de Pontifice multis argumentorum generibus demonstrauimus; tamen non debet Pontifex in controversiis fidei dijudicandis, aut solo suo iudicio fidere, aut exspectare diuinam reuelationem, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat, & ordinaria media; & tum demum exspectare assentiam Spiritus sancti, & directionem diuinam.

Porrò medium ordinarium, ac proinde necessarium, esse Concilium, magnum aut paruum, vnum vel plura, prout ipse iudicauerit, facile probari potest. PRIMVM ex diuina illa promissione Matth. 18. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Hunc enim locum de Conciliis intelligit Synodus Chalcedonensis in

epistola ad Leonem, & aliæ Synodi, quas in sequenti libro adferemus.

S E C V N D O, ex facto Apostolorum, qui cùm possent etiā seorsim singuli definire controuersias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium, & à Christo ipso demonstratum, non sine Concilio controuersiam de legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt. Actor. 15.

T E R T I O, ex consuetudine totius Ecclesiæ, atque omnium seculorum. Semper enim fuit in Ecclesia ista consuetudo, ut ad res dubias explicandas Concilia Episcoporum haberentur. Et ipsi etiam Romani Pontifices nullam unquam hæresim nouam sine novo Concilio damnauerunt, ut cognoscere poterit, qui vel tomos Conciliorum, vel historias Ecclesiasticas euoluere voluerit. Quod autem semper, & ab omnibus factum est, quis negare audebit, ordinarium dici posse, & reuera esse?

Sed accedat confirmatio ex Patribus. **C Y P R I A N U S** libro 2. epist. 1. ad Stephanū: *Necesse, inquit, habuimus, conuenientibus in unum pluribus sacerdotibus, cogere, & celebrare Concilium.* **G E L A S I U S** in tomo de vinculo anathematis: *Si praecepsit, inquit, consensus Pontificis, doceatur à quibus, & ubi ille sit gestus, si secundum Ecclesia regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si maiorum more protalus, si competenti examinatione depromptus, ubi proculdubio requirendum est, si synodali congregazione celebratus, quod in receptione damnata, & depulsione Catholicis, quia noua est causa, fieri certissimum est.*

Denique, Concilium Tolitanum XI. in ipsa præfatione multis verbis demonstrat Concilia in Ecclesia necessitatem. Sed illa summa est, si Concilia desint, necesse esse, ut omnia vitiis, & erroribus continuò repleantur. Itaque & si posset Deus per absolutam potentiam suam Ecclesiam sine Conciliis conseruare: tamen secundum ordinarium prouidentiam eius, necessaria Concilia sunt ad bonam Ecclesiæ gubernationem.

C A P V T